




570 *lin*




H 42
Am.









I. N. D. N. I. C.

DISSERTATIO THEOLOGICA

De

CONFIRMATIONE
FOEDERIS GRATIÆ PER
SACRAMENTA,

Quam,

Divino Numine clementer assistente,

Sub PRÆSIDIO

*Viri Plurimum Reverendi, Excellentissimi
atq; Celeberrimi,*

DN. SEBASTIANI
CURTII, SS. THEOL. D. ejusdemque
Facultatis in inclyta Marburgensium Universitate PROFES-
SORIS Primarii famigeratissimi, Reformatæ ibidem Ecclesiæ
Præconis longè Facundissimi, Domini Præceptoris,
Fautoris ac Promotoris sui æternùm
venerandi,

Publicæ eruditorum censuræ

In Acroaterio Theologico,

Ad d. Januarii, horis solitis, subjicies

FRIDERICUS BENJAMIN GIEGELSBERGER,
Niemburgo-Anhaltinus, SS. Theol. Stud.



MARPURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, *Acad. Typogr.*
Anno M. DC. LXIX.



SERENISSIMIS ATQVE
CELISSIMIS PRINCIPIBUS AC
DOMINIS,

DN. FRIDERICO,
UNIVERSÆ SERENISSIMÆ
DOMUS ANHALTINÆ SENIORI
ILLUSTRISSIMO,

DN. VICTORI
AMADEO,
PRINCIPIBUS ANHALTINIS,
COMITIBUS ASCANIÆ, DOMINIS
BERNBURGI AC SERVESTÆ &c.
PRINCIPIBUS AC DOMINIS SUIS
CLEMENTISSIMIS,

EXERCITIUM HOC
ACADEMICUM,

*In humillima subjectionis symbolum
submissâ veneratione inscribitur
ac offert*

SERENISSIMARUM CELSITUD.
CELSITUD. EORUM

aternum devotissimus Cliens,
FRIDERICUS BENJ. GIEGELSBERGER,
Anhaltinus, *Autor & Resp.*



AWA 1713 L 121

SERENISSIMI PRINCIPES , DOMINI
CLEMENTISSIMI,



*V*æ propediem de fœderis gratiæ
signaculis in inçlyto hoc Hasso - Marburgen-
sium Athenæo publicè differere, meus fert ani-
mus, ea ad Serenissimarum **CELSITUD.**
CELSITUD. V. V. pedes depono humilli-
mè. Aliter nec possum, nec debeo. Debetur
Serenissimis **CELSITUD. CELSITUD.**
V. V. exercitium hoc Academicum multis nominibus. Non edis-
seram impræsentiarum, quâ devotione ipsa natura animum meum
VOBIS, ut Patria **PRINCIPIBUS**, devinxerit; Principa-
lem Vestram Clementiam, quâ me, ut indignissimum, hæctenus
complexi estis, non possum, quin verbo hic saltim allegem. Serenis-
sima **CELSITUD. CELSITUD. V. V. ILLÆ** sunt, Quarum
clementissimo jussu, à Dominis Testamentariis & Legatorum An-
haltinatus Illustrum, studiosæ juventutis saluti cum primis desti-
natorum, Diribitoribus, in numerum Stipendiariorum Patriæ
ante annos aliquot sum cooptatus; absq; quo felicissimo si fuisset stu-
diorum subsidio, ad illam fortè felicitatem, quâ nunc beata sunt,
nunquam mea emerisissent Musæ. Si igitur illuc redeunt, unde ex-
currunt flumina, quis conatum hunc meum sub Serenissimarum
CELSITUD. CELSITUD. V. V. influxu natum, tanquam ri-
vulum ad suum fontem refluere prohibebit? Si iste legitimus cen-
setur messis dominus, qui sementem fecit, cur ego hoc, quicquid est
exercitii, tanquam speratum diuque expectatum à Serenissimis
CELSITUD. CELSITUD. V. V. factæ sementis
proventum, ad **VOS**, ceu **DOMINOS**, sponte & jure suo prope-
rare non permitterem? Ingratissimus sanè mortalium forem, si re-
fluxum istum, naturalem, dicam, partus ad parentem recursum, ne-
fario

fario ausu impedire tentarem. Agite igitur, SERENISSIMI
PRINCIPES, serenâ fronte accipite, quam Illustrissimis Serenissimarum
CELSITUD. CELSITUD. V. V. Nominibus humillimè consecrare debui, dissertationem meam Theologicam; acci-
pite eam ceu vestrum depositum, aut saltem ejus fructû, & GRA-
TIA VESTRA ILLUSTRIS, authorem ejusq; dilectos, us
hactenus, sic porrò dignamini clementissimè. Dominum Domi-
nantium & Principem Principum ex intimis animi penetralibus
venerabor, ut VOBIS, CELSISSIMI PRINCIPES, cum no-
vo anno omnia Principe digna concedat, Serenissimarum CELSI-
TUD. CELSITUD. V. V. Sceptra justitiâ & felicitate stabi-
liat, vitamq; in terris pace diuturna, in cœlis, sempiternâ, coronet.
Dabam, Marpurgi, XI. Calend. Januarii, anno aë Christianæ
M. DC. LXIX.






I. N. D. N. I. C.

*Thesum Theologicarum de fœderis
gratia signaculis*

THESIS I.



V summam DEI misericordiam arguit, rupto à Protoplastis nefario ausu veteri operum fœdere, novi sive Evangelici fœderis cum lapsis hominibus sanctio, quâ de ante hâc alibi locorum peculiari disputatione prolixius jam egimus; ita superabundantem supremi Numinis gratiam & intensissimum divini amoris affectum erga nos commendat ejusdem fœderis illustris per Sacramenta confirmatio. (a)

(a) *Gen. XVII. 9. 10. & seqq. Exod. XII. 1. 2. & seqq. Matth. XXVI. 26. 27. & seqq. Marc. XIV. 21. & seqq. Luc. XXII. 17. & seqq. 1. Cor. XI. 24. & seqq. Matth. XXVIII. 19. 20. Marc. XVI. 15. 16.*

A 2

II. Suf-

II.

Suffecisset enim ad salutarem nostrî institutionem sola Evangelii prædicatio: (a) veruntamen DEUS, qui ipsa bonitas est, (b) verbo conjungere voluit Sacramenta, sacra ista signa atque sigilla promissionum salutarium visibilia, ut omnibus modis imbecillitati nostræ sese accommodaret, efficeretque, ut non solum audiremus in verbo promissa, sed & in sacramentis eadem videremus, & gustaremus, adeoq; de gratia divina omninò certificaremur. [c]

(a) *Rom. I. 16. Eph. I. 13. I. Cor. I. 18. I. Pet. I. 23. Iacob. I. 21. Ioh. XVII. 17. 2. Tim. III. 16. 17.*

(b) *Matth. XIX. 17.*

(c) *Rom. IV. 11. I. Pet. III. 21. 22. Act. II. 38. 39. Eb. VI. 16. 17.*

III.

Ex hâc igitur institutione divina Sacramenta fœderatis DEI sunt necessaria, ita, ut in casu possibilis obtinentiæ præcepti, non tamen absolutam mediî necessitatem habeant; (a) & valet hîc commune Theologorum axioma: non privatio, sed contemptus damnat.

(a) *Gen. XVII. 12. Jos. V. 5. 6. 7. Luc. XXIII. 42. 43.*

IV.

Licet enim gratiam divinam legitimè & dignè Sacramenta suscipientibus conferant, istud tamen non præstant physicè & ex opere operato, ut Papani loqui amant, immediatè per virtutem in elemento externo, vel in actione circa elementum latentem, sed merè moraliter. (a)

(a) *Joh. VI. 63. Rom. II. 28. 29. I. Cor. VI. II. I. Cor. XII. II. Eph. I. 13.*

V.

Legitimè verò & dignè suscipiuntur, quando secundùm
insti-

institutionem divinam à verbi ministro (a) administrata, verà fide, quæ ad dignam & salutarem eorundem perceptionem omninò necessaria est, (b) debitaque devotione usurpantur.

(a) *Matth.* XXVIII. 19. 20. *1. Cor.* IV. 1. *Eb.* V. 4.

(b) *Act.* II. 38. 39. 41. & VIII. 12. X. 47. 48. *Joh.* VI. 47. cum *51.* 54.

VI.

Quod ubi fit, fructum & effectum suum consequuntur, nec requiritur ad consecutionem ejus administrantis, vel absoluta vitæ puritas [a] vel intentio faciendi, quicquid DEUS in administratione sacramentorum fieri voluit.

[a] *Matth.* XXIII. 2. *Rom.* III. 3. *Phil.* I. 15. 17. 18.

VII.

Est autem effectus ille oblatæ & promissæ in verbo gratiæ justificantis illustratio, (a) obsignatio, (b) & exhibitio (c) fidei nostræ confirmatio (d) vitæq; fidelium spiritualis veræ nutritio & sustentatio. (e)

(a) *Gal.* III. 1. *1. Cor.* V. 7. *1. Pet.* III. 20. 21.

(b) *Gen.* XVII. 10. 11. *Exod.* XII. 9. *1. Pet.* III. 20. 21. *1. Cor.* XI. 24. 25. *Rom.* IV. 11.

(c) *1. Cor.* X. 3. 4. *Joh.* VI. 54.

(d) *Rom.* IV. 11. *act.* II. 38. 39.

(e) *Rom.* VI. 3. 4. *Gal.* III. 27. *1. Cor.* X. 17. *1. Cor.* XII. 15.

VIII.

Sacramenta siquidem DEUS non instituit, ut essent nuda tantùm signa, vel commemorativa; (a) vel discretiva veræ religionis à falsa, (b) vel testificativa obligationis, tum mutuæ inter nos ad charitatem, [c] tum ad fidem & obsequium DEO præstandum, (d) sed etiam ut essent obsignativa (e) & rei signifi-

gnificatæ, quæ gratia salutaris in Christo est, per symbola sacramentalia fidei (f) in verbo [g] exhibitiva.

(a) Gen. XVII. 9. Exod. XII. 17. 27. 1. Cor. XI. 24.

(b) Gen. XXXIV. 14. 1. Sam. XVII. 36. 2. Sam. I. 20. Exod. XII. 43.

(c) 1. Cor. X. 17. 1. Cor. XII. 12. 13. cum Rom. XII. 4. 5.

(d) Gen. XVII. 1. 15. 1. Cor. XI. 24. & seqq. Rom. VI. 4. 1. Pet. III. 21.

(e) Rom. IV. 11. cum Gen. XVII. 11.

[f] 1. Cor. X. 3. 4. 16. 17. Job. VI. 54. Gal. III. 27. (g) Eph. V. 26.

IX.

Qualia cum non sint Pœnitentia, Confirmatio, Ordo, Conjugium & unctio extrema, ea catalogo sacramentorum N. T. tanquam spuria, non immeritò extrudimus.

X.

Sed ut duo tantùm V. T. sacramenta ordinaria, Circumcisionem [a] & Pascha (b) agnoscimus, sic duobus plura, & præter Baptismum (c) & S. Cœnam (d) in N. T. adhuc alia à Christo charactere sacramenti notata & insignita, non admittimus.

(a) Gen. XVII. 11. & seqq.

(b) Exod. XII. 1. 2. & seqq.

(c) Matth. XXVIII. 19. 20.

(d) Matth. XXVI. 26. 27. 1. Cor. XI. 24. & seqq. & X. 2. 3. 4. & XII. 13. 1. Joh. V. 8.

XI.

Inter quæ V. & N. T. sacramenta multiplex licet intercedat differentia, utrobique tamen operandi modus idem est, & æquè illa, atque hæc, ipsum Christum cum suis beneficiis significarunt, obtulerunt & patribus fidelibus exhibuerunt, [a]

(a) 1. Cor. X. 3. 4. 1. Cor. V. 7. adde Act. XV. 11. & IV. 12.

XII. Quem-

XII.

Quemadmodum enim olim Circumcisio, octavo à nativitate die, in masculis Judæorum, externè in præputio carnis peracta, signum erat interioris Circumcisionis, & remotionis præputii cordis (a), sic Baptismus, qui in locum Circumcisionis successit, (b) & externè in corpore baptisandi peragitur, divinitùs institutum (c) ordinarium atq; perpetuum (d) fœderatis N. T. sacramentum est, non tantùm solennis receptionis in externam Ecclesiæ communionem, (e) sed & internæ ablutionis à sordibus animæ (f) obtingentis baptisatis per & propter sanguinem Christi, (g) accedente ad verbum (h) virtute & efficaci operatione Spiritus S. (i)

- (a) *Gen. XV 11. 10. & seqq. Deut. XXX. 6. Rom. 11. 28. 29. IV. 11.* (b) *Matth. XV VIII. 19. Matth. XXI. 25. Job. 1. 35.*
 (c) *Col. 11. 11.* (d) *Matth. XX VIII. 19.* (e) *1. Cor. XII. 13.*
 [f] *Marc. 1. 4. Act. 11. 38. Tit. 111. 5.* [g] *Matth. XXVI. 28. 1. Job. 1. 7. Apoc. 1. 5. Eb. 1X. 14.* (h) *Eph. V. 26. 27.* (i) *Matth. 111. 11. Job. 111. 5. Tit. 111. 5, 6. 1. Cor. VI. 11. & XII. 13.*

XIII.

Cæterùm quia operatio ista Spiritus S. libera est, [a] nec ullis mediis externis alligata, spiritualis quoque animæ ablutio & regeneratio non præcisè ad momentum susceptionis adstricta est, sed Spiritum S. illud regenerationis opus liberè, non tantùm in Baptismo, sed & ante & post Baptismum (b) non in omnibus, (c) sed in quibus vult, pro beneplacito suo operari, credimus. (d)

- [a] *Job. 1. 8.* (b) *Marc. XV. 16. Luc. 1. 15. act. 11. 38. 41. VIII. 12. IX. 3. & seqq. 18. X. 47. 48.*
 [c] *Job. VI. 70. Act. VIII. 21. 22.*
 [d] *1. Cor. VI. 11. Eph. V. 25. 26. 27. Tit. 111. 5, 6.*

XIV. Pri-

XIV.

Primus, qui sacramentum hoc in N. T. administravit, fuit Johannes, ab administratione hac dictus Baptista, (a) cuius Baptismus cum Baptismate à Christo postmodum Apostolis demandato, quoad substantiam, fuit idem, (b) etsi in nonnullis circumstantiis aliqua varietas observari possit. (c)

(a) *Matth. III. 6. Luc. III. 3. Marc. I. 4.*

(b) *ibid. add. Act. II. 38.*

(c) *Act. XIX. 4. Matth. III. 6.*

XV.

Hunc igitur & Apostolos sequuntur hodie omnes & soli verbi ministri ad prædicationem Evangelii legitimè vocati (a) baptisantes auctoritate divina; (b)

(a) *Matth. XXVIII. 19. 20. vidth. V. lit. [a]*

(b) *ibid. add. Matth. XXI. 25. Joh. I. 33.*

XVI.

In aqua naturali & ordinaria; (a)

(a) *Matth. III. 6. Act. X. 47. Eb. X. 23.*

XVII.

Sive per immersionem, (a) sive per aspersionem, pro more in Ecclesia recepto (b) & praxi Apostolorum non adverso;

(a) *Matth. III. 16. Act. VIII. 38.*

(b) *Act. II. 41. X. 48. XVI. 15. 33. XVIII. 8.*

XVIII.

In nomine Patris, Filii & Spiritûs S; [a]

(a) *Matth. XXVIII. 19. 20.*

XIX.

Et quidem solos homines vivos [a] jus ad Ecclesiæ sanctæ communionem ex DEI promissione habentes; [b]

(a) *Matth. XXVIII. 19.*

(b) *Act. II. 39. I. Cor. VII. 14. Matth. VII. 6.*

XX. Non

XX.

Non quòd totalis peccati originalis abolitio sensu Papa-
no in actu Baptismi fiat, ut nulla eius labe & infectio pec-
caminosa remaneat; (a) sed ad remissionem peccati, tam origi-
nalis, quàm actualium, tam ante, quàm post Baptismum
commissorum perfectissimam significandam & obsignan-
dam. (b)

[a] Rom. VII. 17.

[b] 1. Joh. 1. 7. Eph. V. 27.

XXI.

Hæc peccatorum remissio & foederalis gratia quemad-
modum ex clausula foederis, (a) & praxi Apostolorum con-
stanti (b) nec minùs ex analogia circumcisionis (c) ad infan-
tes fidelium (d) quoque pertinet, qui gratiæ Evangelicæ per-
cipiendæ per Spiritùs S. inhabitationem suo modo reddun-
tur capaces; [e] sic non minùs illis, quàm adultis doctrinâ
Christianâ imbutis, (f) & Ecclesiæ fidem Christianam atq;
pœnitentiam professis, [g] Baptismus est conferendus; nec
semel legitimè, & secundùm essentialia collatus ulli iteran-
dus. (h)

(a) Gen. XVII. 7. add. Matth. XIX. 13. Act. 11. 39.

[b] Act. XVI. 15. 33. XVII. 8. 1. Cor. 1. 16.

[c] Gen. XVII. 12. coll. cum Col. 11. 11. 12.

(d) Rom. IX. 16. 1. Cor. VII. 14.

(e) Luc. 1. 14. 15.

(f) Matth. XXVIII. 19.

[g] Marc. XVI. 16. Act. 11. 39. VIII. 12. 37.

(h) Eph. IV. 5.

XXII.

Idem infantes ut ante Baptismum pro Sathanæ manci-
piis, aut pro oblectis à Diabolo habendi non sunt,
(a) sic ad malignum istum spiritum expellendum, inter Ba-
ptisma-

B

ptisma-

ptisandum Exorcismus ab Exorcistis perperam adhibetur,
& rectius superstitiosis ritibus reliquis, à Pontificiis Baptismo
malè additis, Baptismumque magis contaminantibus,
quàm ornantibus, ab orthodoxa Ecclesia annumeratur.

Vid Th. XXI. lit. [d] (e)

XXIII.

Ex eodem fundamēto, assertâ nempe infantium fidelium,
etiam ante Baptismum collatum, sanctitate, & Spiritus S prin-
cipaliter, regenerantis in ipsis habitatione, à charitate & fide
Christiana omninò alienum censemus, infantes sine Baptis-
mo, vel parentum incuriâ, vel impossibili Baptismum à verbî
ministro obtinendi copiâ, decedentes, vel ipsis tormentis in-
fernalibus, vel limbo infantum, in quo, nescio, quam, pœnam
perterant, adjudicare.

XXIV.

Quæcunque igitur, ad damnationem æternam à mori-
entibus sine Baptismo avertendam, in mortis periculo, mu-
lierculis & laicis, ut vocantur, præter Christi institutionem à
nonnullis conceditur baptisandi potestas, superflua est, falsa-
que Adversariorum de Baptismo physicè regenerante,
adeoque absolutè necessario, nititur hypothesi. Vid. Th. IV.

XXV.

Sacra Cœna, in locum Paschatis abrogati, Judæis olim
gratiam Evangelicam, sub imagine agni annuatim mactati,
& certis ceremoniis adhibitis manducati, illustrantis & obfi-
gnantis, (a) tanquam alterum N. T. sacramentum à Christo
[b] substituta, [c] eandem gratiam, (d) analogiâ signorum &
rerum signatarum conveniente illustratam, [e] simili modo
adultis, (f) dignè sacramentum hoc suscipientibus, [g] ob-
signat, confert & exhibet. (h)

[a] Exod. XII. 1, 2. & seqq.

[b] (c) *Vid. Th. X. lit. (d) I. Cor. V. 7.*

(d) *Matth. XXVI. 28. Joh. VI. 54. 56.*

[e] *I. Cor. X. 16.*

[f] (g) *Luc. XXII. 19. I. Cor. II. 26. 27. 28. 29.*

(h) *Vid. lit. [d.]*

XXVI.

Hujus sacramenti author quia Christus est, (a) Ecclesie suæ caput unicum & Dominus, (b) qui illud verbo mandati, hoc facite, [c] instituit, quo verbi ministri in administratione hujus sacramenti jubentur facere, quicquid Christus fecit, & communicantes id, quod Apostoli in cœnæ institutione fecerunt, nulli potestati humanæ in hoc sacramento, vel quoad essentiam, vel quoad integritatem, quicquam immutare licet. [d]

(a) *Vid. Th. X. lit. (d)*

(b) *Eph. I. 22. IV. 15. V. 23. Col. I. 18. adde Matth. XXVIII. 18.*

[c] *Vid. th. X. lit. (d)*

[d] *Dent. XII. 32. Matth. XXVIII. 20. I. Cor. XI. 23.*

XXVII.

Exemplo igitur & mandato Christi adversantur, qui pro pane vero cibario & alimentario, qualem Christus adhibuit, [a] qualemve Apostolica Ecclesia semper retinuit, [b] hostias orbiculares, nutriendi vim, adeoque analogiam primariam venerandæ & necessariæ alimonie ad rem significatam, non habentes, in cœnæ administratione usurpant;

[a] *Vid. th. X. lit. [d]*

[b] *I. Cor. XI. 23. & seqq. X. 16.*

XXVIII.

Qui fractionem panis, à Christo, non distributionis causâ, sed tanquam ceremoniam sacramentalem adhibitam,

B 2

omit,

omittunt, & in Eucharistia pro ceremonia indifferente & adiaphora habent;

I. Cor. X. 16. Act. II. 42.

XXIX.

Qui calicem benedictum Laicis sacrilegè subtrahunt; (a)

(a) *Matth. XXVI. 27. Luc. XXII. 19. I. Cor. XI. 26. 27. 29.*

XXX.

Qui necessariò, & sub peccato mortali, vino aquam admisceri volunt;

Vid. Ib. preced. lit. a.

XXXI.

Qui ex cœna sacra sacrificium propitiatorium pro vivis & mortuis, contra œconomiam fœderis sub Evangelio sacrificiis externis propriè dictis locum nullum concedentem (a) fabricantur;

[a] *Col. II. 17. Eb. VII. 15. & seqq. Eb. IX. 14. 15. 16. 28. X. 2. 14.*

XXXII.

Qui præter finem à Christo intèntum & præscriptum Ecclesiæ, [a] sacram cœnam etiam ad probandam in foro innocentiam, ad fœdera humana firmanda, ad omnis generis mala averruncanda, ad cœpta & proposita fortunanda, adhibent.

[a] *Luc. XXII. 19. 20. I. Cor. X. 16. 17. 21. XI. 25. 26. 27. & seqq. XII. 13.*

XXXIII.

Sicuti Baptismus impropriè lavacrum regenerationis dicitur, (a) ita quoque ex natura sacramentorum, [b] & analogia fidei, (c) panis in hoc sacramento dicitur corpus Christi, & calix, seu vinum in calice sanguis Christi, impropriè, per tropum & phrasin Spiritui S. de sacramentis loquendi usitatam, qua nomina sacramentorum cum rebus significatis

com-

commutat, & nomen rei significatæ & obsignatæ de externo signo, in casu recto, per metonymiam signati pro signo, enun-
ciat. [d]

(a) *Matth. III. 11. I. Pet. III. 21. Eph. V. 26. I. Cor. VI. 11. I. Job. 1. 7.*

(b) *Gen. XVII. 10. 13. Exod. XII. 11. 27. II. Chron. XXX. 17. Matth. XXVI. 17. Marc. XIV. 14. Luc. XXII. 7. Tit. III. 7.*

(c) *Luc. XXIV. 39. Job. XII. 8. Act. III. 21. I. Cor. XI. 26. Col. III. 1. 2. Eb. VIII. 4. IX. 12. Luc. XXII. 19.*

(d) *Vid. lit. b. add. Job. VI. 48. 51.*

XXXIV.

Quapropter repudiamus tum naturæ sacramentorum, tum analogiæ fidei repugnantem sententiam, (1) eorum, qui, rejecto tropo, s. metonymia signati pro signo, locutionem identicam & propriam hîc urgent, ita ut verus & literalis sensus verborum cœnæ sit: Hoc, i. e., contentum sub speciebus panis & vini, verè & propriè est corpus Christi verum & naturale, sanguis Christi verus & naturalis, pane in corpus, & vino in sanguinem Christi, quoad substantiam, vi verborum consecrationis, transmutatis.

XXXV.

(2) Illorum, qui synecdochen hîc propugnant, adeò ut verborum promissionis verus & literalis sensus hic sit: Hoc, i. e., non solus panis & vinum visibile, sed etiam corpus & sanguis Christi invisibilis, quæ ex promissione, & vi verborum Christi, quoad indistantiam loci adsunt, & in, cum & sub symbolis externis panis & vini ore corporis percipiuntur, sunt corpus & sanguis Domini.

XXXVI.

Negando tamen hac nostrâ verborum promissionis genuina interpretatione corporis & sanguinis Christi, tum per consubstantiationem, tum per transubstantiationem, præ-

sentiam, veram & realem corporis & sanguinis Domini in
S. Cœna præsentiam non negamus, vel è sacramento tolli-
mus. Hæc enim spiritualiter præsentia sunt, quatenus com-
municantium fide, sacris symbolis adjunctâ corpus & sanguis,
Domini apprehenduntur, (a) & præsentia sistuntur; (b) quæ
præsentia vera & realis est. (c)

(a) *Joh. VI. 35. 47. 51. 53. 54. 55. 63.*

(b) *Eb. XI. 1. Joh. VIII. 56. I. Cor. X. 3. 4.*

(c) *Joh. VI. 56. Eph. 3. 17. I. Cor. X. 3. 4.*

XXXVII.

Dicis: Fides non est omnium, qui ad mensam Domini
accedunt, quibus tamen corpus & sanguis Domini verè præ-
sentia sunt, & promiscuè ab omnibus sacrâ cœna utentibus
percipiuntur. (a) &c. Verè, h. e. sacramentaliter & signi-
ficativè, quomodo res significata in quovis sacramento præ-
sens est, (b) concedo; at, verè, h. e. ἀδιατάτως, & oraliter
in, cum & sub symbolis percipiuntur, nego; (c) verè, h. e. spi-
ritualiter, itidem nego. Præsentia spiritualis solos fideles at-
tingit, qui etiam soli corpus & sanguinem Domini ore, non
corporis, (d) sed animæ, (e) ad spiritualem cum Christo
communionem, (f) & vitæ æternæ participationem [g]
percipiunt.

(a) *I. Cor. XI. 28. 29.*

(b) *Vid. ib. XXXIII. lit. (b) add. Eb. X. 29.*

(c) *Vid. ib. XXXIII. lit. (c)*

(d) *ibid. add. Matth. XV. II. 17. Rom. IV. 17. VIII. 11.*

(e) *Joh. VI. 47. & seqq. 63. add. Marc. XVI. 16.*

(f) [g] *Joh. VI. 51. 54.*

XXXVIII.

Ad salutarem istum s. cœnæ finem & fructum etiam à
nobis obtinendum, cum fides in nostris non sit viribus, (a) il-
lam largire & operare in nobis, clementissime, æterne ac
mise-

misericors DEUS, pro efficacitate roboris virium tuarum, & juxta super eminentem magnitudinem potentiae tuae, (b) ut, quotiescunque ad sacrum hoc epulum accesserimus, digni ejus convivae reperiamur, ne cum infidelibus damnationem & mortem, (c) sed cum fidelibus salutem & vitam aeternam (d) nobis edamus atque bibamus. Id faxis, Optime Pater, per & propter Filium tuum, Dominum ac Servatorem nostrum Jesum Christum, cui Tecum in unione Spiritus S. sit laus, honor & gloria in sempiterna secula, Amen.

(a) Eph. II. 8. Ioh. VI. 29. 44. 65. Phil. II, 13.

(b) Eph. I. 19.

(c) I. Cor. XI. 29.

(d) Ioh. VI. 51. 54



Π Α Ρ Ε Ρ Γ Α.

PAter in divinis rectè & citra absurditatem dicitur principium Filii, & Filius principiatum.

Afferere spatia imaginaria, in quibus DEUS ante mundi creationem fuerit, & post productionem ejus etiamnum extra mundum sit, derogat independentiae DEI, cum per opinionem istam inferatur,
DEUM

DEUM ad sui existentiam loco vel spatio, si non reali, saltem imaginario, opus habere, quod omninò absonum.


Malè ex cap. VI. vers. 4. & seqq. epistolæ ad Hebræos apostasia fidelium concluditur; nec benè colligitur ex vers. 6. ejusdem cap. Christum pro omnibus promiscuè hominibus esse mortuum.


Nec derogat saluti Veterum, & limbo, quem vocant Patrum, fayet cap. XI. vers. ult. ejusdem epistolæ.












A7WA A7B





I. N. D. N. I. C.

DISSERTATIO THEOLOGICA

De

CONFIRMATIONE
FOEDERIS GRATIÆ PER
SACRAMENTA,

Quam,
Divino Numine clementer assistente,
Sub PRÆSIDIO
Viri Plurimum Reverendi, Excellentissimi
atq; Celeberrimi,

DN. SEBASTIANI
CURTII, SS. THEOL. D. ejusdemque
Facultatis in inclyta Marburgensium Universitate PROFES-
SORIS Primarii famigeratissimi, Reformatae ibidem Ecclesiae
Præconis longè Facundissimi, Domini Præceptoris,
Fautoris ac Promotoris sui æternum
venerandi,
Publicæ eruditorum censura

In Acroaterio Theologico,
Ad d. Januarii, horis solitis, subjiciet
FRIDERICUS BENJAMIN GIEGELSBERGER,
Niemburgo-Anhaltinus, SS. Theol. stud.

✠ ✠ ✠

MARPURGI CATTORUM,
Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.
Anno M. DC. LXIX.

